



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

**Ribadeneyra, Pedro de
Coloniæ Agrippinæ, 1602**

Veneta ditione paßim operantur. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

periculo, Venetijs à mercatoribus est curata. Neque enim nostri, quousque in nauim ascenderēt, quicquam illius attingere voluerunt: sed mendici omnino & vacui, quoq; modo venerant, Venetias ad sua illa Xenodochia reuerfi sunt. Paulò post ad pedes Hieronymi Veralli, Rossanensis tum Archiepiscopi, Sedis Apostolicæ apud Venetos Legati, postea verò etiam S. R. E. Cardinalis, paupertatis, castitatisque votis piè susceptis, sacris sunt initiati, sacerdotijq; dignitatem ipso die diui Ioannis Baptistæ, Ignatius, & reliqui sex, ab Episcopo Arbenfi sunt consecrati. Quo quidem die in ipsa consecratione, per magnam, atque ad eò singularem tum Episcopus, tum ipsi animi senserunt iucunditatem.

IN VENETA DITIONE

passim operantur.

CAPVT VIII.

DVm se Patres ad nauigationem parant, nauigandi spes omnis sublata est. Nam cū eo ipso tempore, Veneti contra Turcarum tyrannū, cū summo Pötifice & Carolo Cesare conspirassent, strato classib. mari,
Hicro-

Hierosolymitana peregrinorum nau-
 uigatio conquieuerat. Quod quidem
 multis antè annis nunquam acciderat
 neque ex illo tempore vsq; ad annum
 Domini 570. postea accidit. Deus e-
 nim qui omnia sapientissimè moder-
 tur ac regit, aliquid maius, atque am-
 plius quàm quod nostri Patres molie-
 bantur, ipsis neque cogitantibus, neq;
 scientibus, cogitabat. Quocirca admi-
 rabili planè, ac diuina prouidentia, in-
 stitutum Hierosolymam nostrorum
 cursum interrupit, alioque deflexit. E-
 go nostri, postquam nauigandi eo an-
 no nihil spei ostendi vident, ad præ-
 standam voti religionem, & fidem su-
 am liberandam, integrum annum ni-
 hilominus expectare constituunt: sed
 vt liberiore animo, & ab alijs occupa-
 tionibus vacuo, ad sacra Missæ pera-
 genda se compararent, aliò sibi sece-
 dendum existimarūt. Quamobrem I-
 gnatius, Faber, Laines, Vicetiam; Fran-
 ciscus Xauier, & Salmeron in Mōtem
 Celestum: Ioannes Codurius, & Ho-
 zius (quem nostris iam adnumeratum
 diximus) Taruisium: Claudius Iaius, &
 Simon Bassanum. Paschasius, & Boba-
 dilla Veronam concedunt. In ditio-
 ne Venetorum omnes versantur, neq;

ex illorum finibus vsquam excedūt. Ignatius igitur, socijque extra oppidum Vicetiam, ædiculā humilem ac ruinosam reperiunt, foribus reuulsis, fenestris sublatis, ventis circumflantibus peruiam. In hac, domicilium suum collocant; palearum aliquantula copia comportata, humum ad cubandum sternunt. Bis quotidie oppidum, ad victum quæritandum, ingrediuntur, quem tenuissimum referebāt: vix enim panis, quantum ad vitam tolerandam satis esset, habebāt; cui si olei, aut butyri paululum accessisset (quod tamen rarissimum erat) id verò in delicijs numerabant. Ex tribus, vnus domi remanebat, ad panem durū mucidumque; aqua macerandū, ac percoquendum. Is ferè Ignatius erat, qui ex oculis, propter maximam profluentium lacrymarū vim, grauissimè tum laborabat. Quod ab eleemosyna procuranda dabatur temporis, id totum orationi, meditationique diuinarū rerum tribuebatur. In hac vitæ ratione quadraginta dies posuerunt: quibus exactis, Ioannes Codurius ad illos Vicetiam venit: cōmuni tum consilio, ad cōcionandum aggredi statuunt. Eodem igitur die, eademque horæ in quatuor

G

diuer-

diuersis vrbis plateis, clara primum magnaque voce clamare incipiunt: homines pileis manu ostensis ac circumactis conuocant; & ad cōcionem audiendam inuitant. Congregatum populi multitudinem, verba faciūt, de vitiorum scēditate, de virtutis pulchritudine, de mundi contemptu, de diuini in nos amoris magnitudine, de reliquis rebus, quæ ad peccati seruitutem declinandam, ad bonam beatamque vitam persequendam cōducunt. Sermo illorum indisertus quidem erat, atque impolitus: & quod Italici sermonis rudes tum essent, ex plurimarum linguarum commixtione cōflatus; at pius, & eruditus, & quasi malleus conterens petras. Quare et inconditis quidem verbis magna tamen morum emendatio est consequuta.

Hier. 23.

*ÆGER IGNATIUS, ADVENTU
in suo Simonem curat aegrotum.*

CAPVT IX.

DVM in his operibus versatur Ignatius, atque omnibus animi corporisque viribus in Dei gloriam, sui que ludibrium incumbit, V
ceti